



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

11. Aliud Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

duceret ad indifferentiam mouendi se hac, & illac quia talis cognitio, si haberet quasi non esset, ex eo quod potentia motiva esset determinata ad carentiam motus; ergo pari modo cognoscere rationes indifferentes boni, & mali in vtraque parte contradictionis, non sufficit ad libertatem voluntatis; si aliunde ipsa voluntas necessitatis vinculo determinetur ad vnam partem; ita ut fuerit impossibile actualiter dissentire motioni illi primae causae, cui de facto consentit, & similiter fecerit impossibile consentire illi motioni, cui de facto dissentit ex suppositione quod tales motiones datae fuerint, & non alia ratio à priori est, quia omnes rationes quibus supra persuasimus, antecedentem necessitatem esse directe contrariam libertati, eadem omnes vni suam integram retinent, etiam si supponatur intellectum recte cognoscere rationes ex se sufficientes, ut voluntas amplectatur vtramque partem contradictionis. Quapropter etiam hac cognitione supposita, si aliunde necessitas antecedens voluntatem ad vnam partem determinat, eo ipso libertatis usus est impossibilis. Peculiariter vero recolenda est, & huic conclusioni applicanda illa primaria ratio, quoniam nec potest voluntas repellere à se necessitatem antecedentem, neque potest illa necessitas suppositis, non agere ac proinde absolute non potest non agere id quod agit per antecedentem necessitatem. Quae ratio nihil profus enervatur, etiam si supponatur ex parte intellectus, quaecumque cognitio dictans rationes vtriusque partis, dummodo ex illa non sequatur potestas abijcendi necessitatem, vel illi resistendi.

240 Probatur, quoniam in Christo Domino, Beatissima Virgine, ceterisque confirmatis in gratia, tam in patria quam in via indubitabilis erat cognitio intellectus ostendens rationes boni veri, vel apparentis, quaecumque possent excogitari in obiecto suarum volitionum, nihilominus hac veritate praesupposita, & nunquam indubium vocata Doctores Scholastici communiter in Christo D. ceterisque sanctissimis personis varias vias, & rationes excogitarunt, ut retineant potestatem vtriusque partis, exclusa necessitate qualibet, quae antecederet determinaret ad eorum actiones meritorias: ergo supponebant non satis facere libertati praedictam cognitionis indifferentiam, nisi etiam ex parte voluntatis seruetur indifferentia vtriusque partis electiva sine villo vinculo necessitatis.

241 Deinde quia quidditas libertatis postulat positum omnibus praerequisitis ad operandum, posse operari, & non operari: sed vnum ex praerequisitis ad libere operandum, est cognoscere aliquam rationem boni, quae ad operandum inuitet: similiterque ut libere omitatur eadem operatio, praerequiruntur cognoscere aliquam rationem boni, quae ab operatione reuocet animam, & inuitet ad non operandum: ergo libertas vtrumque simul postulat, ex quibus primum praerequisitum ex parte intellectus est, cognoscere duas saltem rationes boni, alteram quae inuitet ad operandum, alteram quae inuitet ad non operandum; secundum vero praerequisitum ex parte voluntatis, eiusque libertatem constituens, est, praedicta cognitione posita, & ceteris omnibus praerequisitis adhuc nulla necessitate impediri quominus possit operari, & possit etiam non operari. Quam rationem confir-

mant omnia, quae dicta sunt in *disputatione* 50. *secunda*, & *sequentibus*.

Confirmatur, quia quamuis radicalis, & primaria libertas in eo consistat formaliter quod voluntas ex natura sua sit potens eligere alteram partem contradictionis ex his, quas intellectus proposuerit, proptereaque inter conditiones requisitas ad usum libertatis, vna ex praecipuis conditio sit intellectus proponens bonum, ostendensque rationes pro vtraque parte contradictionis, nihilominus haec omnia non sufficiunt ad libertatis usum, si aliunde conijcitur voluntas in vincula necessitatis antecedentis, provenientis ex praedeterminatione physica: sicut manum esse sanam, & integram, nec non cerebrum, & cor, à quibus mouenda est perfecta sanitate gaudere, non sufficit, ut expediat manum moueas, si à potentiori agente constringeris vinculis ne moueas manum, nisi propius mouerit potentius agens.

SUBSECTIO XI.

Aliud argumentum ponitur.

Nam supposita vestra sententia, non solum sequitur voluntatem creatam habere ligatam & impeditam formalem libertatem, ratione physicae praedeterminationis, eo modo quo beati habent impeditam, ratione visionis beatificae, sed quod magis est, neque radicalem libertatem habere, quod sic probo; quia illa potentia, quae in nullo statu habet plenam indifferentiam ad vtrumlibet, sed semper est determinata, non solum non habet libertatem formalem, sed neque radicalem, ut videre est in potentia visiva, quae quia in omni statu illi connaturali est determinata ad non videndum, quando deficiunt requisita ad videndum; ad videndum quando habet omnia requisita ad visionem, quia tunc non potest suspendere visionem, sed necessario videt, non solum non habet formalem libertatem, sed neque radicalem.

Tunc sic, potentia volitiva, supposita vestra sententia, semper & in quocumque statu sibi connaturali est determinata, siue ad non operandum, siue ad operandum, quia voluntas solum in duplici statu potest reperiri & considerari, nimirum in statu sensus diuini, in quo est diuisa, & separata à physica praedeterminatione, quando non habet illam, & in hoc statu est determinata ad non operandum, quia sine physica praedeterminatione nullo modo potest operari, quia physica praedeterminatio est omnino necessaria ad operandum; unde in hoc statu nullo modo habet indifferentiam sed potius oppositum illius, videlicet determinationem ad carentiam actus.

Item in alio statu potest voluntas existere connaturaliter, scilicet in statu in quo habet physicam, praedeterminationem, & in hoc statu, est etiam determinata ad operandum, quia physica praedeterminatio ex eo, quod sit determinatio vnita voluntati, redit ipsam determinatam ad operandum, quod propter supposita physica praedeterminationem non

non potest voluntas non operari : ergo in isto statu nullam habet indifferentiam, sed omnimodam determinationem; sed praeter hos status non datur alius, quia esse cum physica praedeterminatione & esse sine physica praedeterminatione, contradictorie opponuntur, ac proinde non datur medium inter illa: ergo nullus est status connaturalis voluntati, in quo habeat plenam indifferentiam ad operandum, & non operandum; sed potius in omni statu est omnino determinata, sicut potentia visiva, siue ad carentiam actus, quando deficiunt requisita ad actum quando concurrunt requisita: ergo neque formalem, neque radicalem libertatem habet voluntas nostra, & sic est sicut potentia visiva supposita vestra sententia: declaratur, quia ideo in nostra sententia voluntas Beati, licet habeat impeditam libertatem formalem, habet radicalem, quia talis voluntas potest esse in statu sibi connaturali scilicet extra patriam in via, & sine visione beatifica a qua ligatur eius libertas, in quo statu habet plenam indifferentiam ad amandum, & non amandum Deum, sed ut iam demonstravimus supposita vestra sententia, in nullo statu potest reperiri voluntas cum indifferentia plena ad operandum, & non operandum, positis omnibus requisitis ita ut possit operari, & non operari, & quando operatur possit non operari, & quando non operatur possit operari: ergo voluntas neque formalem, neque radicalem libertatem, & indifferentiam habet Domini & perfectionis, sed potius habet indifferentiam indigentiae & necessitatis similem illi, quam habet ignis ad comburendum, & non comburendum, non ex dominio quod habeat, ratione cuius possit comburere & non comburere ad libitum proprium, sed potius dicitur indifferens ex indigentia & necessitate, eo quod possit comburere si dentur omnia requisita ad comburendum, & ita tunc comburat, ut non possit non comburere, quia positis omnibus requisitis ad comburendum, necessario comburit, & possit non comburere, non quando comburit, sed quando non dantur omnia requisita ad comburendum, & quando indiget illis (& tunc ita non comburit, & non possit comburere) quae indifferentia, vocatur imperfectio, & necessitatis, quia illam habet ignis ex indigentia, & ex necessitate, & non ex dominio, ita similiter supposita vestra sententia voluntas habet indifferentiam solum ad operandum, & non operandum, non simul sed divisim, eo modo quo ignis videlicet quod possit non operari quando deficit physica praedeterminatio, & tunc non operatur necessario, quia deficiente illa non operatur, quia non potest operari, & potest operari, quanto physica praedeterminatio, & tunc ita potest operari, ut necessario operetur, quia posita illa non potest non operari: sed haec indifferentia non est domini, & perfectionis, ac proinde non est libertas, sed potius est indifferentia indigentiae, imperfectiois & necessitatis, quae pugnat cum libertate: ergo supposita vestra sententia in voluntate, sicut in igne, neque radicalis, neque formalis libertas datur.

245 Vergetur, & argumentor sic fortiter, quia ex vna parte conceditis talem sensum compositum.

I. P. Tom. II.

situm esse necessarium ad libertatem, & ex alia parte dicitis talem sensum compositum destruere, & impedire libertatem: ergo evidenter sequitur vos ipsos vobismetipsis clarissime contradicere, atque pugnantia loqui; consequentia haec sic demonstratur, quia pugnantia loqui est asserere id quod est necessarium ad aliquid, destruere ipsum ad quod dicitur esse necessarium, verbi gratia, si ego assererem unionem animae, & corporis esse necessariam ad constitutionem hominis, & iterum assererem ipsam unionem, inter animam, & corpus destruere hominem, nomen in hoc casu pugnantia loqueretur: & ratio est manifestata, quia id quod est necessarium ad constitutionem alicuius dat esse illi quod constituit, & id quod destruit, non dat esse villo modo, sed potius tollit: atqui idem dare esse & non esse idem sunt opposita contradictoria: ergo tu qui asseris sensum compositum esse necessarium ad libertatem, & simul asseris destruere libertatem vel cum illo non posse consistere illam, asseras simul talem compositum sensum simul esse necessarium ad illam, & non esse necessarium, & sic opposita contradictoria simul asseras, ac proinde pugnantia loqueris.

Prima pars antecedentis in qua est difficultas sic demonstratur, quia nihil aliud est sensus compositus, nisi quod simul sit concursus in voluntate creata, & voluntas creata simul excitetur, & moveatur a concursu diuino, hoc est compositio ex voluntate creata, & concursu diuino, quia enim dum concurrunt Deus, & existit concursus diuinus in voluntate, resultat hoc compositum voluntas creata adiuta, mota, excitata, completa, & determinata a concursu diuino, ideo voluntas dum habet concursum diuinum dicitur esse in sensu composito seu in statu compositionis, & coniunctionis cum concursu diuino.

Sed ad libertatem voluntatis requiritur sine dubio, ut simul sint concursus diuinus, & voluntas creata, quia certissimum est quod nec voluntas sola sine concursu Dei possit operari quod est necessarium ad libertatem, nec solum concursus diuinus sine libertate est sufficiens ut homo libere operetur, quia libere operari est hominem indifferenter operari: sed concursus diuinus solus, est operari solum Deum, & minime operari hominem: ergo ad libertatem creatam nec sufficit concursus seu actio Dei in sensu diuiso a voluntate, siue diuisa ab illa, nec voluntas, in sensu diuiso a concursu Dei, hoc est separata a tali concursu & sine illo, sed necessarius est sensus compositus ex voluntate & concursu diuino.

Secunda autem pars, antecedentis est vestra sententia & solutio, vos enim dicitis in sensu diuiso esse libertatem, & non in sensu composito.

Secundo contra illam solutionem aduersarium de sensu composito, & diuiso sic argumentor, quia ut bene aduertit P. Suarez, haec responsio ab usu voluntatis libere ad facultatem liberam diuertit, & recte quidem diceretur necessitatem illam operandi, quae a tali determinatione provenit non tollere a voluntate ipsa facultatem radicalem libertatis (ut sic dicam) si necessitas illius determinationis non esset ex hypotensia, & indigentia intrinseca voluntatis; nam hoc sen-

M Mm 2

su etiam si Deus necessitatem inferat voluntati in aliquo actu prout est, non ideo destruet facultatem liberam, sed impedit solum usum: sed hoc neque in presenti dicere possunt hi Doctores, quia ponunt hanc prædeterminationem ut necessariam ex indigentis, & impotentia voluntatis ad operandum, ex quo plane sequitur, ut etiam facultas eius libera destruat, quia si nunquam talis facultas potest libere operari: ergo non datur illa, quia quotiescumque aliqua potentia non potest operari non datur, ut de se patet.

251 Neque etiam si de facultate libera admittamus, quidquam iuvat, quia satis nobis est usum liberum prorsus auferri demonstramus.

252 Quod enim pertinet facultatem habere liberam, si ita illam extrinsecus præventam & impeditam ponamus ut liber usus nullomodo illi sit permissus; hoc autem evidenter sequitur, si alterutra pars potestatis in omni actu, & in omni usu est omnino ligata, & impedita, quod ex prædicta positione evidenter sequitur.

253 Tertio contra, quia hæc solutio est contra Concilium Tridentinum, quod adhuc in sensu composito ut videmus asserit dari indifferentiam libertatis, nam definiuit etiam insuper naturalibus actibus posse liberum arbitrium à Deo motum, & excitatum (ecce sensus compositus ex motione, seu excitatione diuina voluntate creata) & consentire, & resistere si velit ut supra late diximus.

254 Quarro contra, quia ut ex notabili secundo constat, cum hæc suppositio motionis diuinæ, ex qua & ex voluntate sit sensus compositus sit omnino antecedens si ex illa sequitur necessario actus, talis suppositio tollit libertatem iuxta doctrinam Anselmi in notabili enucleatam, & iuxta dicta supra de vera indifferentia libertati; imo iuxta doctrinam Tridentini, ut ex dictis supra patet.

255 Sed hæc suppositio motionis diuinæ efficacis ponitur omnino antecedenter ad voluntatem humanam, eiusque consensum, & ex illa sequitur necessario opus, ita ut nulla creatura possit illi resistere: ergo nulla est libertas.

256 Minor propositio quoad priorem partem est ipsa assertio contrariæ sententiæ, & dicenti Deum præuenire nostram voluntatem efficaci præmotione physica prædeterminante suæ voluntatis absolute.

257 Quoad posteriorem vero partem est de fide, quia voluntati Dei nemo potest resistere; unde quod Deus absolute fieri vult physice prædeterminando, tam necesse est fieri, ut simpliciter contradictionem non fieri.

258 Major vero propositio quoad auctoritatem. Anselmi constat ex ipso, ut diximus in libro de concordia à principio, ubi non loquitur de suppositione aliqua inhzrente, sed simpliciter, & uniuersè; immo potissimum loquitur de scientia & voluntate Dei, & cum illis concordat nostram libertatem per hoc quod non sunt suppositiones omnino antecedentes usum nostræ libertatis, sed illum potius supponentes aliquomodo vel concomitantes.

Altera vero pars, definitionem libertatis constat ex his quæ diximus supra notabili primo; demonstratum enim est libertatem quoad exercitium requirere indifferentiam ad non agendum secundum proximam, & expeditam potestatem po-

tentia liberæ; at in presenti non relinquatur tantis potestas, nam voluntas humana ita applicatur ad operandum cum tali concursu, & motione Dei præuia ad talem actum, ut non sit in potestate eius suspendere suum influxum, sed necessario debet influere, & operari: ergo reuera in usu talis operationis non regnet indifferentia libertatis.

Confirmatur hoc ac declaratur amplius ex illa communi sententiâ Theologorum, scilicet posse Deum manente eodem iudicio intellectus ex se sufficiente ad liberam operationem impedire usum liberum, & necessitatem inferre creatæ voluntati, quod satis clare demonstrat P. Suarez lib. 1. de concursu Dei cum voluntate, cap. 2. ex hac enim doctrina sic colligo, argumentorque: non potest Deus efficaciter vim inferre creatæ voluntati, quam per suam efficaciam, & absolutam volitionem, quia non habet ipsemet Deus aliquid in seipso, quo efficacius, & fortius operetur quicquid potest operari; nam operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ, ita ut mensura operationis sit voluntas eius; nulla autem est voluntas Dei potentior ad operandum, quam sit voluntas efficax, & absoluta: ergo si secundum hanc mouet, & determinat voluntatem, non relinquatur alius modus, quo illi possit necessitatem inferre, inuicem nec intelligi potest, quæ maior possit esse necessitas quam quod independentem me Deus statuat quid ego facturus sim, & ex vi illius voluntatis instigat voluntati creatæ entitatem suæ modalem, suæ realem physice prædeterminantem voluntatem, qua posita non possum aliter velle quam Deus me determinauerit.

259 Secunda principalis ratio sit, quia ex his omnibus manifeste patet sensum compositum ex auxilio diuino efficacem, & ex voluntate creatæ ita esse necessarium, ut non possit voluntas sine eo esse libera, quia sine eo non potest voluntas operari: ergo si ex alio capite probauero talem sensum compositum destrui voluntatis libertatem, sine dubio demonstrabo vestram sententiam omnino destrui libertatem; quod autem talis sensus compositus destruat, sic patet evidenter quia ut necessitas, quæ est in sensu composito, non tollat libertatem, requiritur ut id quod componitur cum mea voluntate sit in potestate voluntatis, ut sunt actus eiusdem voluntatis, vel aliquomodo pendeat ab eo quod est in potestate voluntatis, vel aliquid supponat, quod à tali pendeat, tunc enim locum habet distinctio illa sensu compositi, & diuisi v.g. qui currit necessario mouetur non absolute, sed in sensu composito, quia impossibile est ut non moueatur quamdiu cursus cum illo componitur, seu illi inest absolute tamen, sen in sensu diuiso libere mouetur, quia in potestate ipsius est cursum inhibere; sic etiam, præscitus necessario damnabitur non absolute, sed in sensu composito; hæc enim est particula diminuens, quia fieri nequit, ut non damnetur composita cum eo illa præscientia, est enim necessaria connexio inter præscientiam, & rem præscitam; absolute tamen potest non damnari: quia in eius potestate est se ita viuere vsque ad ultimum spiritum, ut non moriatur in peccato mortali, supposita diuina gratia, quæ nulli negatur, quod si fecerit, sequetur talem præscientiam nunquam fuisse, & ipsum nunquam fuisse præscitum nõquid potest præ-

Quaest. vlt. De concursu Dei cum creaturis. 46 I

scientia semel est posita possit non esse, sed quia si obiectum non fuerit positum, ut potest non poni, sequitur praescientiam illam nunquam fuisse, nam obiectum esse in aliqua temporis differentia, prius est ratione, quam esse eius praescientiam obiective quidem, ut ex Patribus & omnibus Theologis aperte colligitur, dum dicunt ideo rem praesciri futuram, quia futura est, non e contra ideo futura est, quia praescitur.

262. Addo, quando aliquid dicitur solum necessarium fieri in sensu composito, quod absolute libere sit, solum significari necessariam connexionem inter rem a qua componitur cum voluntate, & inter actum voluntatis, verbi gratia, inter praescientiam diuinam, & opus praescitum cum inter voluntatem, & opus nulla talis conexio fit.

263. Atqui dum quis habet impressionem praedeterminantem ad velle, non solum est necessaria conexio inter impressionem illam, & volitionem, sed etiam inter potentiam voluntatis & volitionem ipsam; nam potentia ad illam ab alio determinatur; item inter potentiam voluntatis, & illam impressionem; nam haec conexio non est in potestate voluntatis, ut sit vel non sit; est ergo in hoc casu absoluta necessitas absolutam voco, cui voluntas non potest resistere.

264. Ratio autem a priori huius argumenti, & totius doctrinae est, quia ut homo possit libere dissentire debet habere assensum, & dissensum in sua potestate proxime, vel saltem remote; homo autem praedeterminatus ad consensum neutro modo habet in sua potestate dissensum, non quidem proxime, quia desit illi aliquid requisitum ex parte principij proximi, nempe praedeterminatio ad consensum, non etiam remote, quia non est in sua potestate dissensus; item nec consensus potest esse in eius libera potestate, quia non est in eius potestate quod consensus sequatur, vel non sequatur posita praedeterminatione; hic enim necessarius sequitur ex suppositione determinationis ad illum, & fuit in eius potestate quod poneretur praedeterminatio ad consensum seu suppositio illa: ergo non potest ei imputari moraliter, quod ponatur, vel non ponatur consensus; ergo non manet libertas si solum potest dissentire, vel consentire in sensu diuiso.

265. Haec ratio maximam habet vim, si res moraliter, & sincero animo consideretur, videtur enim tolli de medio utilitas correctionis, precum, supplicij, suasionis, &c. Pone enim me non esse praedeterminatum ad dandum tibi librum, quem petis, quid mecum praecibus agis, praeces enim non praedeterminant, nec causant praedeterminationem; Respondebo tibi impune, quid obicere faciam, ut praedeterminet ad dandum librum, da mihi medium obtinendi praedeterminationem, dabo tibi librum, alioqui frustra laboras sicut si peteres ab igne niuem, vel ab aqua ignem.

266. Refert D. Didacus Lopes Episcopus Turia de Zonenis, libro secundo, Historia Anglica, cap. 8. Latronem quendam hereticum fuisse captum in Anglia ab haereticis eiusdem sectae, & furti accusatum, excusabat ille suum crimen ex doctrina inrer ipsos iam receptas quia praedeterminatus esset ad furandum, quid enim facerem inquit, ut non furarer si praedeterminatus eram, ut furtum committerem, tunc iudex subridens, quia nullam fidem adhibebat tali doctrinae, ego etiam, inquit, praedeterminatus sum ad te occidendum, sicut tu praedeterminatus fuisti ad furtum committendum, & sic praedeterminaberis ad suspendiū, sic prudens

iudex excusationem ridiculam, & falsam latronis labefactauit.

267. Alio modo formari solet haec ratio in hunc modum, quia si voluntas praedeterminata habet potentiam ad dissensum in sensu solo diuiso: ergo non habet potentiam proximam ad dissensum, sed remotam, sicut homo ligatis pedibus non habet potentiam proximam seu proxime expeditam ab ambulandum, sed remotam, quia potentia proxima includit omnia requisita, quorum vnum est non habere impedimentum ad operationem ambulatiam: ergo nunquam habet voluntas potentiam proximam ad consensum, & dissensum: ergo neque habet propriam indifferentiam, & libertatem; demonstratur hoc exemplis manifestis, ignis enim, ita calefacit quando adiunt omnia requisita, ut tamen possit non calefacere in sensu diuiso, hoc est si desit aliquod requisitum; item oculus quando videt potest non videre, si desit species, intellectus, quando assentitur, potest non assentire si desit motuum, Beatus, diligens Deum potest non diligere ipsum, in sensu diuiso, hoc est si desit visio beatifica, & tamen haec omnia non operantur libere, sed necessario, quia nimirum non est in eorum potestate ponere, vel non ponere suppositionem illam, ut quod illa posita non sequatur effectus: ergo ex hac potentia quam voluntas praedeterminata retinet ad dissensum in sensu diuiso, non saluatur bene eius libertas, hoc enim commune est causis necessariis.

268. Vergetur ex Patribus, qui semper docent voluntatem nostram ideo esse liberam, non quia potest in sensu diuiso dissentire, sed quia potest in sensu composito auxilij dissensum facere coniungendo dissensum cum praemotione, & ceteris causis antecedentibus, ita loquitur Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, tomo 1. his praeclaris verbis: [sed laboriosum est omnia mandare memoriae, hoc breuissimum tene quaecumque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti sine peccato ei cedatur: si autem potest non ei cedatur, & non peccabitur.] Augustinus ad libertatem arbitrij exigit quod possit resistere omnibus causis, quaecumque illae sint: ergo quod si possit coniungere dissensum cum his causis ea est, ut non possit resistere, & sic voluntas libera non relinquitur.

269. Constat etiam ex Anselmo, necessitate, quae non obstat libertati esse illam solam, quae non facit seu quae non est causa rei; ita loquitur lib. 2. cur Deus homo, capite 18. ibi: [est namque necessitas praecedens quae causa est ut sit res, & necessitas consequens, quam res fecit: ergo ex mente Anselmi necessitas orta ex praedeterminatione, non est consequens, sed antecedens, quia haec necessitas facit consensum, non sit a consensu.] eodem modo loquitur Sanctus Thomas, libro secundo, physicae, lect. 15. text. 88. ubi dicit, quod necessitas, quae dependet ex causis prioribus, est necessitas absoluta; addit postea text. 89. quod autem habet necessitatem ab eo, quod est posterius in esse est necessarium ex suppositione, vel ex conditione.

270. Vides aperte apud Sanctum Thomam necessitatem, quae non oritur ex ipso effectu, sed ex causa antecedenti non esse necessitatem secundum quid, sed necessitatem simpliciter, & per consequens simpliciter opponi libertati; sic etiam loquitur quodlibet. 1. artic. 7. ad 2. ubi probat naturam rationalem moueri a Deo cum libertate, quia sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quod tamen potest huic motioni resistere;

si ergo non posset resistere, seu dissentiri in sensu composito motionis cum voluntate, non moueretur libere.

271 Accedat idem Sanctus Thomas *quest. 6. de malo, artic. 1. ad quindecimum argumentum*, explicans, quomodo arbitrium non necessitetur, dum mouetur à deo, hanc vnicam rationem reddit his verbis: sic ergo illa causa, quæ facit voluntatem aliquid velle, non oportet quod ex necessitate hoc faciat, quia patet per ipsam voluntatem impedimentum præstari, vel remouendo talem considerationem quæ inducit eam ad volendum, vel considerando oppositum, &c. ergo si voluntas neutrum posset, neque aliter posset impedire illam causam priorem à sua operatione, non maneret libera.

272 Responder Albelda q. 19. art. 8. *disp. 57. §. Respondetur*; in primis hic locum habere vulgata illam distinctionem de sensu diuiso, & composito recte intellectam, iuxta mentem Aristotelis & D. Thomæ, pro cuius luce inquit, aduertere oportet quod sicut in hac materia distinguimus duplicem necessitatem, antecedentem alteram, quæ est necessitas causæ per modum naturæ ab intrinseco determinatæ; alteram vero consequentem, quæ nihil aliud est, quam infallibilitas effectus sequuturi, itavt non contingat, talem effectum impediri, quamvis possit, sic eodem modo proportionaliter oportet distinguere duplicem possibilitatem, alteram antecedentem, quæ est indifferentia intrinseca causæ non determinatæ ad vnum; alteram consequentem, quæ nihil est aliud, quam quod de facto aliquando sequatur oppositum eius, ad quod causa erat inclinata.

273 Quo posito sensus diuisus nihil aliud est in propositione affirmatiua de *ly potest*, quam quod possit non sequi effectus possibilitate antecedenti, quatenus causa non præsupponitur intrinsece determinatæ per modum naturæ, sed potius intrinsece indifferentis ad vtrumlibet. Sensus autem compositus in propositione affirmatiua de *ly potest*, nihil est aliud, quam quod aliquando fiat oppositus effectus; vnde in præsentis hæc propositio, stante prædeterminatione physica in Petro de futura poenitentia eiusdem, sine dubio Petrus potest non poenitere in sensu diuiso, vera est, falsa autem in sensu composito, quia quamvis stante illa dei prædeterminatione ab intrinseca indifferentia ad vtrumlibet, sic Petrus potest possibilitate causæ proxime non poenitere, tamen nunquam ita continget stante illa suppositione, & ideo quod nunquam ita contingit, quodam lato sensu dicitur impossibile, id est impossibilitate conditionata, seu consequentia, & hoc appellatur non posse in sensu composito: quod tamen nullatenus impedit libertatem quantum ad vsum, quia libertas quantum ad vsum non consistit in hoc, quod est facere oppositum eius, quod aliquis facit; sed in hoc quod est posse proxime ex intrinseca indifferentia non impedita facere oppositum eius, quod aliquis facit. de quo videndus est D. Th. 1. *contra Gent. cap. 67. & 2.2. quest. 24. art. 1. ubi ait*: [charitas ex parte Spiritus sancti mouentis animam ad diligendum deum impeccabilitatem habet ex virtute Spiritus sancti, qui infallibiliter operatur quodcumque voluerit; vnde impossibile est, hæc duo esse simul vera; quod Spiritus sanctus velit aliquem mouere ad actum charitatis, & quod ipse charitatem amittat peccando;] vbi impossibilitatem in sensu composito explicuit simul cum vera, & expedita possibilitate in sensu diuiso, & prima parte. a.

ad 2. licet sit possibile, inquit, eum, qui est prædestinatus mori in peccato mortali, secundum se consideratum, id est ab intrinseca indifferentia causæ proximæ, etiam stante illa suppositione, tamen hoc est impossibile, posito pro vbi scilicet ponitur eum esse prædestinatum; vnde non sequitur, quod prædestinatio falli possit.

Sed contra: ergo stante prædeterminatione ad poenitentiam, est indifferens voluntas ad poenitendum, & non poenitendum; itavt possit voluntas, si velit non poenitere, sed peccare; & tamen ipsa voluntas infallibiliter quia vult, non peccabit, sed potius poenitebit; vt exigit prædeterminatio illa physica; primam enim partem vocat Albelda sensum diuisum, & sic ait in sensu diuiso posse operari, quia in eius sententia sensus diuisus non est quod voluntas sit separata, & diuisa à concursu diuino physice prædeterminante, id est sine physica prædeterminatione, sed quod non sit determinata per modum naturæ ab ipsa prædeterminatione; secundam partem vocat sensum compositum, quia nihil aliud est sensus compositus secundum hunc Authorem, quam quod aliquando fiat effectus oppositus prædeterminationi.

Sed primo, hæc explicatio sensus compositi, & diuisi inaudita est apud Thomistas, quia omnes ante Albeldam, vt patet ex verbis citatis supra Bannez, Nauarrete, &c. sensum compositum, & diuisum assererebant esse, quos supra retulimus, & impugnauimus, imo & ex ipso vocabulo, & terminis sensus compositi, & diuisi patet melius Thomistas antiquiores loquutos fuisse, quam Albeldam; quis enim qui vel solum Latinitatis limina saluauerit, significationem horum vocabulorum, *compono*, & *diuido*, calluerit leuiter, non iudicabit, toto cælo aberrare Albeldam; sed non mirum, quod sic abutatur hic author terminis antiquis, cum solum intendat hac palliatione verborum fugere fortissima argumenta, quæ contra illam solutionem à Doctoribus Societatis inuenta sunt. Deinde sequitur secundo in sententia Albeldæ illam prædeterminationem non esse illo modo prædeterminationem, ac proinde sibi ipsi verbis apertis contradicere; patet hæc sequela, quia illa prædeterminatio non determinat, necessitat autem cogit voluntatem ad operandum; siquidem adhuc posita & existente prædeterminatione in voluntate, illa potest absolute & simpliciter non operari id ad quod prædeterminatur, sed potius potest operari oppositum prædeterminationi, itavt in actu primo, non sit minus indifferens, & potest non operari id ad quod prædeterminatur voluntas, quam si non haberet illam prædeterminationem.

Sed id quod non determinat necessario, itavt 276 posito illo non possit voluntas resistere illi, nullo modo dici potest prædeterminatio, vt patet ex supradictis, & videre est in habitu, verbi gratia, inhonestatis, qui etiam si ita peccatorem, ad peccatum fornicationis inclinet, vt videatur quasi impossibile posito illo habitu non fornicare (sic refertur de Diuo Augustino, dum Manichæus eliser) nihilominus non dicitur prædeterminatio vere & realiter, sed potius liberam relinquit voluntatem ad fornicandum, & non fornicandum, ab effectu enim formali colligimus esse formam huius vel illius conditionis: ergo si ille concursus diuinus non habet pro effectu formali prædeterminare voluntatem, & cogere illam ad vnum

unum ut antiquiores Thomistae asseriebant, certe non erit praedeterminatio, quare in sententia Albeldae erit & non erit praedeterminatio, & melius loquar ex una parte convinctus Albeldae argumentorum pondere Societatis & ex alia parte oppressus timore discedendi a tam innumerato modo loquendi Thomistarum, & ut solet dici propter timores nocturnos praedeterminationem verbis affirmat, & explicatione negat & destruit.

277 Dices ideo dici praedeterminationem, non quia determinet ad unum voluntatem, ita ut non possit voluntas non operari, oppositum illius cum simpliciter possit resistere tali praedeterminationi, sed quia infallibiliter operabitur voluntas id ad quod praedeterminatur.

278 Sed contra primo, quia ex hac solutione sequitur Albeldam destruere omnia principia Thomistarum, primum enim principium Thomistarum, erat quod voluntas non possit resistere praedeterminationi, ut patet ex verbis supracitatis, & infra afferendis Thomistarum, in quo nulla dabatur dubitatio ante adventum Albeldae ad mundum, qui potius Antithomista quam Thomista Albeldae autem ait voluntatem posse resistere illi; ecce ex diametro opponitur illis.

Thomistae asseriebant, ideo dari praedeterminationem ad unum, quia nulla potentia indifferens & indeterminata potest operari aliquid opus determinatum, nisi prius determinetur & ab indifferenti ad determinatum educatur. Albeldae autem asserit adhuc posita praedeterminatione manere indifferentem voluntatem ad utrumlibet, & potentem operari & non operari, & sic indifferentem determinatum opus conversionis efficere, imo ita operatur ait stante praedeterminatione, ut indifferens & indeterminata operetur, quia ipsa vult & non quia cogitur a praedeterminatione; unde Albeldae in re Societatis veritatem defendit & inde oppugnat Thomistas licet hypochrissi verborum eorum vestigijs insistere videatur.

279 Secundo contra, & interrogo an haec infallibilitas sit ab ipso auxilio faciente quod operetur, ita ut non possit voluntas non operari vel resistere & sic iam haec erit praedeterminatio physica, ut antiquiores Thomistae asseriebant, contra quam insurgunt omnia argumenta supra facta, quae eludere intendens Albeldae solutionem illam confictam proposuit.

280 Vel illa infallibilitas ita sit a scientia cognoscente ab aeterno quod si tali auxilio adiuvetur voluntas operabitur illa certissime, & sic est concedere scientiam mediam seu conditionatam, deinde est ligatis manibus & pedibus ad nostram sententiam procumbere illiusque veritatem venerari & infallibilitatem aut efficaciam auxilij non in physica praedeterminatione, sed incongruitate mortali proveniente a scientia media, & terminatur a voluntate creata ponere & collocare, unde est incidere in id quod ipsi Thomistae tantum abhorrent, & de quo ita blasphemant.

281 Deinde si non constiterit Albeldae infallibilitatem & efficaciam auxilij eo modo esse quod nos ponimus illam, sed alio modo ut supra contra illam insurgit argumentum tertium principale cum omnibus suis confirmationibus, quibus videtur ad talem infallibilitatem infringendam, videtur illud validissime hanc solutionem in principijs Thomistarum oppugnant.

Præterea, quia in vestra sententia nulla est haec infallibilitas, in casu posito, nam Deus per vos non potest sua scientia divina cognoscere infallibiliter in voluntate & potentia creata aliquid opus futurum; ex quod voluntas creata sit indifferens ad utrumlibet, & in esse indifferenti, & determinato non potest aliquid determinatum cognosci: atqui per te adhuc posito illo auxilio manet voluntas indifferens ad hoc ut operetur & non operetur cum illo, quia tale auxilium est huiusmodi, ut voluntas possit uti & non uti illo: ergo scientia divina & terminata ad voluntatem vel ad illud auxilium in voluntate existens, non dum infallibiliter cognoscit tale opus futurum: ergo tale auxilium nullam habere potest infallibilitatem; si ex vno capite negas scientiam conditionatam, & ex alio capite negas ita physice praedeterminare, ut necessiter voluntatem & cogat illam determinate ad operandum, ita ut non possit voluntas tali auxilio resistere.

Tandem, quia cum illa infallibilitas non proveniat ex suppositione usus ipsius liberi arbitrij, ac proinde non sit fundata in impossibilitate consequente necessario est absoluta, & antecedens, & sic erit physica praedeterminatio eo modo quod creabant Thomistae antiquiores, & non eo modo quo tu contra illos asserebas.

284 Confirmatur, quia infallibile est quod est de hominatio a cognitione infallibili supponit in obiecto impotentiam aliquam aliter se habendi; nam si aliter se potest habere cognito circa illud obiectum, erit infallibilis, ac proinde supponere debet in obiecto aliquam necessitatem ita se habendi, quae cum non fundetur in ipso usu liberi arbitrij ante praesens, per vos est necessitas absoluta & antecedens, ac proinde pugnat aperte cum libertate.

285 Vigetur, & admitto quod asserunt adversarij, nimirum cum physica praedeterminatione possit compati potentiam ad dissentiendum.

Sed contra argumentor, quia vel physica praedeterminatio repugnat cum indifferentia voluntatis ad dissentiendum, & sic repugnat cum libertate, ac proinde expellenda erit secundum Concilium Tridentinum & secundum totam fidem catholicam, quia indifferentia est ipsa libertas formalissime, vel non repugnat, si non repugnat habemus intentum, quia cum negamus physicam praedeterminationem, hoc solum negamus, nimirum quod posita formali determinatione in voluntate non possit una simul cum illa poni dissensus, circa obiectum circa quod physica praedeterminatio ponit consensum.

286 Quod autem simul sint consensus & dissensus plane repugnat, quo circa non solum non ponet dissensum stante physica praedeterminatione ponente consensum, sed nec potest ponere, quia homo non solum non facit contradictoria, sed nec potest facere, est autem contradictio, quod simul assentiatur & dissentiat, quia est non assentiri; si ergo necessario consentit ex tali suppositione non habet potentiam ad coniungendum dissensum simul cum tali auxilio ex vi talis suppositionis posito, quia tale auxilium necessario inducit consensum qui omnino pugnat cum dissensu.

287 Tertio principaliter sic argumentor confirmando amplius dicta, quia necessario ex sententia adversariorum unum ex duobus necessario debet sequi, aut quod physica praedeterminatio subdatur voluntati, aut quod non subdatur, sed

sed potius rapiat illam ad opus ex necessitate ad operandum, sed quodcumque sequatur est maximum inconueniens contra vos, & maximum absurdum in vestra sententia: ergo maxime absurda est conclusio illa, ex qua lequitur tale absurdum, & inconueniens.

288 Maior est evidens, quia duo illa subdi videlicet, & non subdi opponuntur contradictorie: sed inter opposita contradictoria necessario debet vnum ex illis euenire, quia non datur medium inter illa secundum illud evidentissimum, axioma, nimirum quodlibet necessario aut est aut non est: ergo necessario, physica prædeterminatione debet subdi voluntati, aut non subdi, debet rapere illam aut non rapere.

289 Minor quoad primam partem, videlicet quod ex eo quod physica prædeterminatio subdatur voluntati, sequatur absurdum &c. sic patet, quia si concursus subditur voluntati, voluntas ex sua liberalitate poterit, suspendere suum influxum nonobstante tali motione & prædeterminatione & resistere illi, ex quo sequitur manifeste talem concursum, motionem seu prædeterminationem non esse talem, nec posse dici determinationem physicam quod est aperte contra aduersarios; unde ipsi sibi ipsis contradicunt, quod nullum aliud maius absurdum potest erui contra ipsos. Sequela hæc sic demonstratur quia illa est prædeterminatio physica, quæ formaliter & intrinsece prædeterminat, cogit & necessitat voluntatem: sed ille concursus non prædeterminat voluntatem cum indifferentem relinquit illam ut possit operari, vel non operari, suspendere aut non suspendere suam operationem adhuc posito diuino concursu: ergo talis concursus non est prædeterminatio physica.

290 Explicatur, quia ideo auxilium sufficiens non est physica prædeterminatio, & idem est de habituali charitate supernaturali, quia licet auxilium sufficiens, & habitualis charitas inclinent ad suum actum, & ex se formaliter libera non sint, tamen habitualis charitas & auxilium sufficiens subdantur voluntati: ita ut licet existat habitus, & auxilium in voluntate, potest voluntas suum influxum suspendere, etiam si sine sufficiente auxilio, & habituali charitate, non possit operari voluntas actum supernaturalem: ergo supposito concursu diuino & auxilio efficaci potest voluntas operari, & non operari, & subditur tale auxilium efficax illi, minime poterit cum veritate dici illud auxilium efficax esse prædeterminationem physicam, quia si talis esset physice prædeterminaret voluntatem, & si physice prædeterminaret illam, non subderetur voluntati tale auxilium, sed potius ipsam raperet secum ad operandum necessario, & ipsi concursui subderetur voluntas.

291 Quod si totum hoc concesserint contrarij, maximo gaudio perfundemur quod ipsi aduersarij tollant à medio prædeterminationem physicam voluntatis ad vnum; nam ipsa præmotio diuina ut in actum secundum exeat à nostra libertate, pendet ut illius liberum vnum expectare dicatur.

292 Tamen si hæc vera sunt secundum rem, falsum erit appellare auxilium efficax prædeterminationem physicam, ut patet exemplo habitus, & auxilij sufficientis.

Item falsum erit principium illud quo hi authores vociferantes, & manus ad cælum tol-lentes vniuntur, scilicet à voluntate creata in-differenti nullum determinatum affectum posse prodire, nisi prius determinetur, quia voluntas etiam illa præmotione affecta adhuc est in-determinata, quandoquidem potest adhuc po-sito illo auxilio operari, vel non operari, & tamen potest exire in actum secundum, cum solo concursu concomitante, & cum auxilio re-linquente voluntatem indeterminatam sine alio prædeterminante, neque enim potest aliud præ-determinans auxilium postulari supposita præ-dicta responsione, quia de illo vique in infinitum procedit simili ratio, ut de se patet.

Falsum denique est hanc motionem esse ita actualem ut sit quasi inclinatio ipsius actus se-cundi, & inseparabilis ab actuali concursu primæ causæ, & opere seu conuersione actuali quam ipse peccator facit medio auxilio efficaci, quod etiam ipsi Authores aiebant, nam res vera est solus actus primus & separabilis in re ipsa à secundo per vsum libertatis nolentis operari: non ergo potest ipso modo in ea sententia responderi nisi ab illa plene recedatur.

Supposito quod illi Authores asserunt tale auxilium infallibile esse, inquiri potest unde sciant, aut unde sit certum & infallibile voluntatem semper operari posito concursu si talis concursus subdatur ipsi, & potest non operari, & suspendere suum influxum posito tali concursu, aut enim id est infallibile in sola præscientia Dei cognoscentis ex sua æternitate futuros esse effectus, ut præsentis, & hoc non est ad rem; tum quia talis præscientia non requirit prædeterminationem in causa, tum etiam quia si talis forma ex se non habet necessariam coniunctionem, cum actu secundo; unde constat, aut qua reuelatione ostensum est Deum præsciuisse semper intercedere hanc coniunctionem; esseque necessariam illationem, & consequentiam inter hanc prædeterminationem & actum secundum; quod si connexio non est infallibilis in tali præscientia, necessarium est quod illa infallibilitas, quæ absoluta esse dicitur; & simpliciter oriatur ex intrinseca natura talis forme, & ex modo operandi eius, ac denique ex intrinseca repugnancia, quæ sit in hoc quod voluntas determinetur à Deo, & non operetur, & sic non solum sequitur voluntatem operari semper cum illa motione, sed etiam non posse non operari, quia illa repugnancia oritur ex necessaria connexionem, inter determinationem, & actum, & maxima efficacia illius determinationis cui non potest voluntas resistere: nam si possit non erit repugnancia quod posita determinatione, non sequatur actio, ac proinde non erit infallibilis effectus supposito tali auxilio efficaci.

Nisi fortasse dicant illud posse solum consistere in hoc quod ablata illa prædeterminatione potest voluntas non operari, quod esset ludere verbis, & transire de sensu composito ad diuisum, quia id non esset posse resistere aut abijcere motionem, sed esset retinere solum radicalem potentiam ad non operandum si Deus ipse cesset à motione, quæ potentia semper manet in voluntate etiam si maxime cesset typus à Deo: nullus ergo apparet modus, quo hæc determinatio cum libera arbitrij in ipso viro, & cum doctrina Concilij Tridentini in concordiam redigatur.

Deinde

Deinde idem euidentius vrgo, quia vel Deus cognouit ab aeterno antequam decerneret mouere voluntatem tali motione ipsum liberum arbitrium posita illa motione se determinaturum ad operandum ex sua voluntate, & quia vult solum, & non quia determinauit, nec rapit, aut necessitat ipsam voluntatem ad operandum talis motio, vel non cognouit antequam tale decretum faceret, si cognouit, & ideo est infallibilis illa motio: ergo in mente diuina exiit pro tunc haec veritas, si ego Petrum moueam tali motione ipse quia vult, & non quia rapitur ab illa determinabit se ad operandum, sed haec est scientia conditionata, & media futurorum vt de se patet: ergo conceditis in Deo scientiam conditionatam futurorum, quam abhorretis maxime.

298 Deinde (vt supra dixi breuiter) efficaciam auxilij ponitis sine dubio non in physica praedeterminatione, sed in congruitate proueniente ex scientia conditionata, tanquam a dirigente ex Decreto Diuino, tanquam ab imperante ex omnipotentia, tanquam ab influente ex voluntate creata, tanquam a causa concurrente, &c. & sic nostram sententiam quam verbis inceptis, & reprehenditis coadi veritate, & vi argumentorum nostrorum mente, & responsione sequimini, hoc est in re. Patet haec consequentia, quia nos ideo in congruitate illa ponimus efficaciam auxilij, quia asserimus opus illud a voluntate creata faciendum, vt infallibile dependere ab omnibus illis nam si ponatur a Deo talis motio de qua cognoscit sua scientia, quod si moueatur homo per illam operaturum esse sine dubio, ac proinde ad hoc vt de facto operetur voluntas, debet Deus decernere mouere voluntatem motione vt sic cognita a scientia, & post decretum illud mouere in tempore qua posita voluntas cooperabitur sine dubio. Ecce quomodo operatio illa dependet ab illis omnibus: ergo si eodem modo ponitis efficaciam auxilij, & infallibilitatem, sine dubio in congruitate, & non in physica praedeterminatione ponitis, quia ad illa congruitate non est necessaria physica praedeterminatio ad mouendam voluntatem.

299 Si autem non cognouit antequam decerneret mouere illam: ergo nec cognouit postquam decreuit, quia tale decretum nihil posuit efficaciam in tali motione, imo si postquam decreuit, ex eo solum quod decreuit cognouit esse efficaciam ad mouendam voluntatem, vel cognouit esse efficaciam, quia decreuit mouere voluntatem illa motione, ita vt ex se non haberet talem efficaciam, nisi per decretum illam accipiat, & ideo decreuit vt tribueret efficaciam Decreto suo tali motioni, vel cognouit motionem illam ex se, & ante Decretum esse efficaciam, & ideo decreuit potius hac, quam alia mouere, quia potius hac quam alia habebat hanc efficaciam, si dicatur hoc secundum: ergo cognouit antequam decerneret, quod si ipse vellent mouere voluntatem illa motione ipsa voluntas, quia vult se determinare libere se determinaturum, sed hoc est cognoscere futurum sub conditione: ergo iam Deus habet scientiam de illo obiecto, vnde habebit sine dubio scientiam conditionalem, quod est contra vos.

300 Declaratur amplius hoc, quia in sententia praedeterminantium Physice euidentissimum est Deum ante omne decretum praedefinire, aut actum bonum, aut gloriam praenouisse medium

determinatum, quo posito sine contingentia foret gloria, foretque actus bonus, quia physice praedeterminationes non habent contingentem solum connexionem, sed necessariam cum actibus bonis, & gloria quae ab eis dependet, quod probat latissime P. Herize 1 p. tractatu de scientia Dei, disp. 6. cap. 2. atqui haec scientia non est futuri contingentis, sed futuri necessarii, vt haec verbi gratia si sol existat in nostro Hemispherio dies erit, itaque nulla sententia cui placent haec decreta praedefinitiva, aut praedeterminatiua potest non admittere scientiam aliquam conditionalium vt necessariam ad praedestinationem: ergo.

Præterea, quia decreta Dei in negotio praedestinationis hominum ita ordinata, & statuta sunt, vt nihil obstat libertati in adquirenda, aut amittenda gloria, & in exercitio cuiuscunque actus boni, vel mali, sed si constituantur decreta praedeterminatiua, aut gloria aut actum liberorum sine scientia conditionata ea decreta de medio tollunt libertatem in adquirenda, & amittenda gloria, & in exercitio actus voluntatis: ergo necessaria est scientia conditionata ad praedestinationem si datur decretum praedeterminans & Physica praedeterminatio.

Maiores huius discursus quoad vtramque partem de fide est, vt de se patet, consequentia est manifesta. Minorem in qua tota consistit difficultas sic probo, si ponitur praedeterminatio, aut voluntas praedeterminans physice ad gloriam, aut ad amorem Dei (absque praescientia medij, quo infallibiliter, & indifferenter futura sit gloria aut actus amoris si ponatur tale medium) exponit se Deo periculo frustrandi suum decretum, nisi voluntatem ita adigat, & impellat ad amorem, & ad actus bonos, vt impossibile sit, & coactioni, & impulsui resistere; at si ita adigitur voluntas, & impellitur, non manet libertas ad amittendam, & adquirendam gloriam, neque indifferentia ad actum, & negationem eius: ergo ablata scientia media si ponuntur haec decreta praedefinitiva & praedeterminatiua in praedestinatione perit praefata libertas Maiorem hanc sic probo, etenim nisi voluntas ita impellatur ad actum vt impossibilis sit resistentia, manet resistentia possibilis: ergo etiam possibile erit irritum reddi, & casum decretum efficax praedeterminatum Dei, etenim vt posita de facto resistentia de facto frustratur decretum, ita posita possibilitate resistentiae ponetur possibilis frustratio ita vero impossibile esse frustrari decretum efficax Dei, vt implicet contradictionem apud omnes Theologos in confesso est: ergo Minorem vero nimirum posita ea coactione, & impulsu cui impossibile sit resisti a voluntate in differentiam, & libertatem euerit, nostri Doctores variis in locis tam manifeste demonstrarunt, vt doctrinam oppositam ab omni schola bona Theologia relegarint.

Confirmatur, nisi Deus habeat scientiam conditionatam metaphysice certam futurationis conditionate actus boni, vel gloriae in certo gradu imprudenter praedefinitet, & decerneret praedeterminando, tum actum tum gloriam, sed repugnat Deo omnis imprudens praedefinitio: ergo scientia conditionata necessaria est in opinione, quae ad stipulatur his decretis, quae infallibiliter operi mandanda sunt sine determinatione physica cogente, & necessitante voluntatem ad opus.

304 Probo hanc consequentiam, quia in omni sententia ordo prædestinationis prudentibus decretis constat. Probo maiorem, imprudentia est præstare ut sit infallibiliter, & absolute finis nulla relicta contingentia ut non sit ante præscientiam metaphysice certam de medio, quo infallibiliter erit si applicetur; etenim circumscripta hac præscientia, solum cognoscitur medium quo possibile est finem poni in rerum natura, non vero medium, quo infallibiliter erit, & adhibito medio quo possibile sit consequi finem, adhuc contingens est ipsum poni, aut non poni; nam possibile indifferens est ad existendum, & non existendum: ergo cum ex intentione prædefiniente prædecreta fuerit efficaciter existentia suis sic prædefinienti imprudenter se gerit, cum periculum non habeat quo medio finis ille consequendus sit; sed solum quo medio possibilis sit, & proculdubio sic procedens exponit suam efficacem voluntatem periculo frustrandi, quod si hoc vitium est in quocunque gubernatore, à fortiori erit in Deo cuius decreta omnia absoluta propter eorum efficaciam, & potentissimam virtutem subire non possunt periculum frustrandi: ergo si Deus non decernit ita præmonere voluntatem physica entitate ita necessitante voluntatem, ut impediat indifferenciam, & libertatem illius necessario debet habere scientiam mediam ut infallibile sit decretum illius.

305 Si autem dicatur primum, primo sequitur etiam habere Deum scientiam conditionalem, quia Deus hanc veritatem cognoscit sine dubio si ego decrevero motum hanc motionem, sine dubio redetur efficax ut voluntas libere operetur opus, & sic libere operabitur quod nihil aliud est nisi habere scientiam conditionalem de futuro libero.

306 Secundo sequitur absolute falsum esse id quod adversarij all'unt; nam decretum Divinum est actus immanens & non transiens; ergo nihil operatur ad extra in creaturis immediate: ergo decretum illud non potest facere efficacem motionem, quia efficacia est perfectio creata in motione ac per consequens extra Deum, sed Decretum illud quatenus distinguitur ab omnipotentia non est extra Deum operativum; ergo tale Decretum non potest immediate tribuere efficaciam motioni quæ extra Deum est.

307 Deinde, quia nihil aliud est actus ille divinæ voluntatis efficax, seu Decretum, quam volitio Divina, sed ex volitione in re volita non resultat aliquid intrinsecum: sed solum denominatio extrinseca, quia esse volitum nihil aliud est quam terminare actum voluntatis, & terminare illum est denominatio extrinseca, sicut terminare intellectionem, hoc est esse intellectum & terminare visionem esseque visum; ergo ex tali Decreto non resultat, nec derivatur efficacia à motione, quæ in vestra sententia est intrinseca perfectio.

308 Dices ex eo quod Deus vult efficaciter sequi influxum omnipotentia in motionem esse efficacem illam, saltem mediate.

309 Sed contra, & interrogo an illa efficacia sit ita in motione, ut determinet voluntatem & rapiat illam, seu necessitet ipsam sine eo quod possit resistere voluntas, vel non; si hoc primum asserant, iam est concedere quod negabant, & negare quod concedebant; de quo postea vide-

bimus, immo iam vidimus talem motionem ratione talis efficaciae destruere libertatem; si secundum: ergo iam non est physica prædeterminatio; siquidem, ut iam dixi non determinat, & necessitat voluntatem ad operandum sed potius subditur voluntati, & relinquit indifferenciam illam; unde ut supra diximus, sicut habemus non est physica prædeterminatio, ita neque motio illa.

Secundo argumentor, & urgetur manifeste, quia hic actus voluntatis procedit à deabus causis, seu voluntatibus, quarum inferior incipit moveri à superiori, quando superior vult, & non est in inferioris potestate, ne illa motio inchoetur, sed in sola potestate voluntatis superioris, neque etiam potest inferior voluntas non sequi motionem superioris, ergo nullo modo est in potestate voluntatis inferioris illam actionem impedire, nec antecedenter sciendo ut motio Dei non ponatur, nec consequenter impediendo ne habeat effectum: ergo nullo modo est in voluntate, & in potestate voluntatis inferioris illam actionem impedire: ergo nunquam habet indifferenciam dominativam.

Deinde sequitur quod etiam ipsi adversarij fatentur, hanc præmotionem esse inseparabilem ab actu secundo ex natura sua, & actum secundum naturali necessitate ab illa manare: egeritur ergo omnino non solum usus libertatis, sed etiam ipsa libertas in actu primo, quod sic patet; nam dicunt hanc determinationem esse necessariam extrinsecam naturæ creatæ voluntatis indigentis illa: ergo sine illa non est voluntas apta proxime ad aliquid volendum indifferenter, ac proinde neque libere: ergo non solum impeditur usus libere operandi, sed etiam sequitur potentiam ipsam non postulare ex natura sua illum liberum operandi vium, quia non potest in sua operatione, & natura duas condiciones repugnantes simul postulare. Præterea, quia ubi non est actus secundus, non est primus, sed in voluntate quæ petit ex natura sua non habere vium liberum, non datur, nec potest dari actus secundus libere operandi; ergo nec datur actus primus indifferenciam, & libertatis si ponatur talem prædeterminationem physicam necessariam esse ad operandum, quia posita illa, est falsum dicere, voluntatem posse non operari, quod est necessarium ad libertatem; quod sic patet, quia voluntas sic præmotata, & prædeterminata non poterit non operari, nisi possit etiam facere ut ipsa motio seu entitas illa prædeterminans non operetur, quia non potest virtus prædeterminans efficere actum sine voluntate: ergo si ipsa voluntas stante prædeterminatione potest non efficere, potest etiam facere ut determinatio non efficiat ex defectu concusæ (ut ita dicam) necessaria: ergo è contrario, si voluntas humana non potest efficaciam necessariam illius determinationis impedire, neque etiam poterit non operari illa determinatione posita, & consequenter talis prædeterminatio tollit libertatem, & potestatem quam Concilium Tridentinum docet in nobis manere posita præmotione Dei. Prima vero consequentia evidens est ex antecedenti, quia illa determinatio ex se non habet liberam connexionem cum actu, sed necessariam & non subest in sua actione usui libero voluntatis, ut asseritur; ergo naturali necessitate procedit actus à voluntate sic mota, & determinata tali motione.

Dices

Quaest. ult. De concursu Dei cum creaturis. 467

312 Dices etiam si sequatur actionem illam voluntatis necessario fluere à voluntate praedeterminata manere libertatem, quia manet indifferens iudicium rationis ut possit iudicare indifferentiam obiecti.

313 Sed contra primo; nam ut bene notat Pater Lessius haeretici huius temporis, qui tollunt veram libertatem in actibus bonis & malis, & dicunt nos necessario peccare & necessario bonum operari, facile admittunt libertatem huiusmodi; si nihil aliud ad eam requiratur, nisi iudicium non perturbatum, admittunt enim non perturbari iudicium rationis per gratiae efficaciam, vel diuinam providentiam omnino in nobis operantem, neque tolli iudicij aut obiecti iudicati indifferentiam, qui enim vult dare eleemosynam, vel furari facile videt id quod vult non esse necessarium ad finem, & tamen illud ita vult, ipsorum sententia, ut non possit velle quando voluntas à Deo ad hoc impeditur; at secundum doctrinam Ecclesiae amplius requiritur ad libertatem, quam quod ab haeticis conceditur, alioquin non esset nisi discrepantia in nomine Ecclesia vocante libertatem, illud idem quod haetici vocant necessitatem.

314 Secundo contra, quia certum est motus gratiae praeventis, & tentationum impulsus non esse liberos (non enim in nostra potestate est, ut haec in nobis non excitentur,) atque experientia constat haec saepe in nobis excitari, & perseverare manente iudicio rationis indifferente circa illud obiectum, potest enim ratio in illo considerare rationem cur possit appeti, & non appeti, haec ergo iudicij indifferentia non sufficit.

315 Dices illos motus non provenire immediate ex illa rationis indifferentia, sed ex apprehensione quadam intellectus, vel phantasiae ad vnum determinatam; unde mirum non est si non sint liberi.

316 Sed contra, quia etiam operationes voluntatis iuxta alteram sententiam non sequuntur immediate ex indifferentia iudicij, sed ex iudicio practico ad vnum determinatum, vel potius ex determinatione diuinitus impressa, ac proinde hac in re est paritas; unde si illi motus non sunt liberi eo quod sequantur immediate ex iudicio determinato, & ex voluntatis applicatione diuinitus facta, neque etiam operationes voluntatis liberae erunt, quia immediate sequuntur ex iudicio practico, & ex intrinseca determinatione potentiae voluntatis.

317 Tertio contra, nam haec indifferentia iudicij in altera sententia non videtur quidquam iuvare ad libertatem actuum voluntatis, nam praeter illud iudicium, quo iudicatur medium esse indifferens, requiritur actus intellectus, videlicet efficax imperium quo intellectus imperet voluntati, ut accipiat obiectum propositum, qui actus efficaciter rapit voluntatem, ita ut illo stante in intellectu nulla restet libertas in voluntate ad contradicendum, ut docet Medina 1. 2. quaest. 9. art. 1. & insinuat auctor quidam Thomista, qui contra nos edidit tractatum quemdam de hac materia his verbis: [Quod iudicium, nempe, quo medium iudicatur ordinandum ad finem practicum est, & cum electione voluntatis necessario coniungitur tanquam radix efficax actualis libertatis.] Haec autem verba non possunt intelligi de iudicio, quo medium iudicatur indifferens; hoc enim non est practicum,

L. P. Tom. II.

neque efficax actus voluntatis, sed intelligenda sunt necessario de iudicio ultimo practico, vel imperio quod est radix efficax actus, nempe quia cum illo stare non potest, ut voluntas non velit, ut ipsi docent, quod si ad singulos actus voluntatis requiritur tale iudicium, vel imperium, quod secundum se est efficax actus, & quo stante voluntas non potest contradicere, quid obsecro ad libertatem voluntatis in agendo facit quod praecedat iudicium de indifferentia medij, &c. si enim intellectus iudicet medium esse indifferens, tamen hic & nunc iudicat esse eligendum, & illo iudicio posito, voluntas determinatur ad electionem, neque est in eius potestate contradicere. unde illud iudicium de indifferentia medij est impertinens plane ad libertatem voluntatis, cum voluntas ab eo non dirigatur, utrum autem reuera tale iudicium, vel imperium intellectus requiratur, quo stante voluntas non possit contradicere, infra dicetur.

Quarto impugnatur illa solutio ex verbis Tridentini sess. 6. qua probatur contra haeticos esse libertatem arbitrij, non quidem ex eo quod praecedat iudicium indifferens, sed quia arbitrium potest abicere, potest non recipere, potest resistere, & dissentire gratiae diuinae, potest non consentire, &c. ergo sentit Concilium non sufficere indifferentiam iudicij ad libertatem, si non adsit haec potentia ad resistendum, & non resistendum, alioquin facilius conuinceretur, & probaretur libertas arbitrij ex iudicio indifferenti, quod haetici ipsi non negant: fatendum ergo est contra mentem Concilij non saluari libertatem arbitrij per solum iudicium indifferens si non adsit potestas arbitrij ad dissentiendum, quam videtur praedeterminatio destruere.

Dices posse arbitrium dissentire quantum est ex parte iudicij indifferents, quod non determinat.

Sed contra hoc non est posse simpliciter dissentire, sed secundum quid, id est, quantum est ex parte iudicij, sicut si dicas hominem, qui apertis oculis videt perfecte viam: sed habet pedes vinculis alligatos, posse quidem ambulare quantum est ex parte luminis, & oculorum hoc certe non est posse simpliciter ambulare, neque ideo potest dici talem hominem alligatum habere indifferentiam, libertatem, & potestatem proximam ad ambulandum, & non ambulandum, sed solum posse non ambulare quia determinatus est ratione vinculorum ad non ambulandum, etiam si habeat sufficientia lumina, tum oculorum, tum solis ad ambulandum: ergo similiter, si voluntas, & libetum arbitrium determinatur physica praedeterminatione ad propriam operationem consensum, licet ex parte luminis, & oculorum, seu iudicij non determinetur non poterit simpliciter dici, quod potest dissentire, vel non consentire, aut habere libertatem ad consensum, vel dissensum.

Vergetur à priori, quia potestas dissentendi non solum includit iudicium rationis indifferens, sed etiam concursum in actu primo praeparatum à Deo ad actum dissensus, sive enim hominem habere iudicium illud indifferens de bonitate obiecti, sed tamen Deum negare omnem concursum ad amorem, & odium, nunquid homo ille erit liber vel rationabiliter poterit dici posse amare, & odio habere? nihil minus. Cum ergo praedeterminatio ad consensum tollat concursum Dei in actu primo ad dissensum,

NN 2 (repugnans

(repugnat enim Deum velle in actu primo concurrere ad dissenfum cum arbitrio prædeterminato ad consensum) consequens est nihil prodesset indifferentiam iudicii ad libertatem arbitrij, si cum illo iudicio ponatur prædeterminatio physica ad consensum.

§21 Dices in eo casu adesse concursum Dei in actu primo ad dissenfum, non quidem ad dissenfum cum prædeterminatione ad consensum, sed ad dissenfum in sensu diuiso ab illa prædeterminatione.

§22 Sed contra, etiam homo ligatis pedibus habet concursum Dei in actu primo ad ambulandum casu quo soluantur pedes, sed tamen simpliciter, & absolute non potest ambulare hic & nunc, nec habet libertatem ad ambulandum, quia hic & nunc non debetur ille concursus ratione illius impediendi, sic etiam licet Deus offerat homini prædeterminato ad consensum concursum ad dissenfum, non tamen potest homo hic, & nunc dissentire etiam cum iudicio indifferenti, quia ille concursus ad dissenfum, non debetur hic, & nunc, quandiu non tollitur prædeterminatio ad consensum.

§23 Fateor libertatis radicem oriri ex indifferentia iudicii, quatenus ratione illius iudicii indifferentis debetur arbitrio concursus Dei in actu primo ad vtrumque actum, & per consequens debetur negotio totius prædeterminationis, vel necessitatis ad consensum determinate.

§24 Fateor etiam esse satis probabile, quod aliqui ex nostris opinantur, non posse stante iudicio indifferenti prædeterminari physice voluntatem ad consensum, adeo enim censent repugnare prædeterminationem cum indifferentia, vt neque etiam cum iudicio indifferenti possit dari prædeterminatio voluntatis, quod docet P. Vazquez 1. part. disput. 90. cap. 2. num. 8. & disput. 98. num. 32. & disput. 99. num. 51. & probabile censet Pater Suarez tomo 1. de gratia Prologomeno 1. cap. 5. num. 7. licet ipse verius existimet posse dari de potentia absoluta prædeterminationem physicam cum iudicio indifferenti, sed quidquid de hoc sit, negamus tamen saluari quod requiritur ad libertatem arbitrij, si per possibile, vel impossibile ponatur prædeterminatio voluntatis cum iudicio indifferenti, quia iam non maneret potestas simpliciter ad dissenfum, vt vidimus.

SUBSECTIO XI.

Solutio quorundam Recentiorum impugnatur.

§25 Quidam Theologi Dominicani Salmanticenses post tentatas alias vias ad consiliandam libertatem arbitrij cum auxilio prædeterminante, hunc modum excogitarunt, ut fugerent argumenta supra facta. Dicunt enim auxilium prædeterminans dari à Deo dependenter ab ipsa operatione arbitrij ad quam datur non solum in genere causæ finalis, sed in genere quasi causæ, vel dispositionis moralis, non enim datur prædeterminatio, ut homo operetur; sed etiam datur, quia homo se disponit per ipsam operationem ad recipiendam prædeterminationem, sicut dicunt multi, actum contritionis præcedere, vt dispositionem ad habitum Charitatis, à quo tamen

habitu ipsa contritio procedit efficienter, & sicut opinantur Thomistæ ultimam dispositionem disponere ad formam, & tamen fieri ab ipsa forma. Hoc ergo supposito facile videtur consiliare prædeterminationem cum libertate, nam licet in sensu composito auxilium prædeterminantis non possit homo non conuerti, libere tamen conuertitur, quia ipsa prædeterminatio datur dependenter ab operatione libera, qua homo se disponit ad prædeterminationem, primum hac ratione explicatur; quomodo qui non conuertitur habeat auxilium sufficiens, quia per ipsum stat quod non habeat prædeterminationem, si enim se dispo-neret per conuersionem actualem, eo ipso haberet prædeterminationem ad ipsam conuersionem, sicut qui non conuertitur habet auxilium sufficiens ad contritionem quia per actualem contritionem potuit se disponere ad recipiendum habitum charitatis, quo eliceret ipsam contritionem.

Hanc sententiam multi graues Doctores appellant sententiam mediam, quia reuera longissime distat à sententia quam antea defendebant Thomistæ, & quam adhuc modo maior eorum pars defendit, & contra quam nostra Societas tandem disputauit, & licet hanc etiam secundam sententiam improbabilem existimemus, non tamen sentio tam acriter contra eam dimicandum, quippe cuius absurdum totum fere deducitur ad principia philosophica de mutua prioritate inter dispositionem, & formam, quæ qui semel deuorauerit, iam videtur vtrunque saluare libertatem arbitrij, & indifferentiam, quæ ad meritum requiritur in aliis actibus pijs spectantibus ad salutem. Nostris vero Doctores, vsque adhuc disputant contra prædeterminationem physicam datam à Deo independentem à libero arbitrio, qualem Augustus Dominicani eam ponebant vt apud ipsos facile poterit videri, & constabit ex eorum verbis; si enim inquiras à Magistro Bañez quid præcesserit ex parte huius hominis, vt prædeterminaretur potius, quam ille; Respondet nihil prorsus præcedere; sic ille 1. p. quæst. 23. art. 3. dub. 3. consequentia vltima his verbis: [si quis quærat quare quibundam in singulari hæc dona conferat Deus, aliis vero denegat? Respondetur cum D. Thoma non esse rationem quærendam, hoc enim ex simplici Dei voluntate dependet.]

Facilius certe, sed longe aliter responderent hi recentiores rationem esse, quia hic se disposuit, ille non se disposuit ad prædeterminationem recipiendam? vbi ergo est altitudo illa diuitiarum & inscrutabilitas iudiciorum Dei ad quam nos frequenter remittebant? vbi est illud non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, iam enim iuxta hanc sententiam volentis est, & currentis, & disponentis se ad gratiam efficacem recipiendam, sed quid moramur in hoc? ipsi metagnoscunt diuersitatem huius sententiæ, & eam ut contrariam antiquæ, & hereditariæ suæ doctrinæ fere omnes reiiciunt.

Nec mirum, quia ipsimet Romæ dum suam sententiam coram illustrissimis Cardinalibus presentarentur ita explicitis verbis dixerunt in secunda assertionem exhibita die 23. Maij. anno 1599. efficacia hæc pendet ab æterno & absoluto voluntatis Dei prædeterminantis decreto in particulari ante præuisionem boni vsus liberi arbitrij futuri actus illos, quibus homo ad Deum conuertitur. Ecce fatentur prædeterminationem dari ante præuisionem nostræ operationis.

Retentio